



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCXL. Otto und Konrad, so wie Johann, Konrad's Sohn, Markgrafen von
Brandenburg, schenken dem Kloster Colbatz zur Gründung eines
Filiaalklosters seines Ordens 500 Hufen Landes, am 17. September 1286.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

CCXL. Otto und Konrad, so wie Johann, Konrad's Sohn, Markgrafen von Brandenburg, schenken dem Kloster Colbatz zur Gründung eines Filialklosters seines Ordens 500 Hufen Landes, am 17. September 1286.

In nomine sancte et Indiuidue trinitatis amen. Nos fratres Otto et Conradus, dei gratia Marchiones de Brandenborgh, Vniuersis Cristi fidelibus presens scriptum visuris Salutem in perpetuum. Ad plantandam et edificandam vineam domini Sabaoth, ad capiendas vulpeculas, que eandem vineam satagunt demoliri, Prudens pater familias antiquo et vero consilio vinee sue — salubriter prouidit, Cum ipsam noua ac multiplici ordinis Cistertiensis prole feliciter secundauit. Quare cum hanc fecunditatis ubertatem iam probate rei dedicerimus argumento, dignum est, ut quorum sentimus spiritualis refectionis affluentia, eorum subueniamus indigentie et ut a nobis reficiantur cibo corporali quedam temporalia largiamur —. Ea propter Notum esse volumus tam presentibus quam futuris, Quod nos fratres Otto et Conradus, marchiones de Brandenburgh, assante nobis Johanne marchione, filio Conradi marchionis, et vna nobiscum condonante, ob remedium animarum nostrarum et patris nostri pie memorie et matris nostre et nobilis domine Constantie, matris iam dicti Johannis marchionis, et omnium parentum nostrorum, et in restaurum dampni per nos et per nostros vasallos et aduocatos ecclesie Colbatzenfi illati, Trecentos mansos aptos ad agrum colendum iuxta stagnum et nemus Starutz et ducentos mansos deserti circa idem stagnum pro pascuis, conferimus et donamus dilectis nobis in cristo fratribus de Colbatz ordinis Cistertiensis ad ius vere proprietatis pro nouo monasterio fundando et ibidem construendo, Cum omni Jure et vtilitate, que nunc est et in futurum haberi poterit libere possidendos. Preterea hec Stagna videlicet Magnum Slawe, Reddentuwe, Beruffee, Starutz, Collin, Berbenick, Zestubbe et alia Stagna infra terminos dictorum mansorum sita et Rivulos intra eosdem terminos deluentes et piscationem per assensum (sic) Drawe a vado, qui dicitur Stenvorde, per miliare et dimidium, supradictis fratribus damus feliciter ad fruendum et quiete. Insuper Supradictis fratribus damus aduocatum liberam et ut iudicia majora et minora per suos Iconomos in dicta exerceant proprietate: de cetero omnes libertates et immunitates, quas predicti fratres de Colbatz in aliis suis bonis habere noscuntur, scilicet in villis, agris, siluis, cultis et incultis, pratis, pascuis, fluminibus, riulis, Stagnis, aquis, piscationibus, molendinis, conferimus fratribus supradictis. Vt autem hec nostra solemnitas donatio coram multis assantibus facta rata in perpetuum permaneat et inconuulsa, presentem paginam cum Sigillorum nostrorum appensione fecimus communiri. Testes autem huius rei et donationis sunt dominus hermannus Abbas Colbatzenfis, frater Jacobus et frater Hinricus de braele monachi eiusdem, Bernardus notarius noster, Theodoricus de hestorp, haffo, zulitz, ludeko, heinricus de doffe noster aduocatus, Hinricus de mellentin, Betekinus misnere milites et alii quam plures fide digni. Datum Ffredebergh, per manus nostri notarii Bernardi, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, Epacta quarta, concurrente septimo, iudictione quinta decima, quinto decimo kalendas octobris, in die beati Lambarti Episcopi et martiris.

Aus einem Transsumte des 15. Jahrhunderts im R. Ges. Kab.-Archiv 445, H.

Anm. Die vorstehende Schenkung an das Kloster Colbarg scheint mit der Stiftung des Klosters Himmelstedt in der Neuemark in Verbindung zu stehen. Auch ist in demselben Documente, worin die vorstehende Urkunde transsumirt ist, zugleich die Urkunde des Markgrafen Albrecht vom Jahre 1300, die man gewöhnlich als den Stiftungsbrief des Klosters Himmelstedt betrachtet, transsumirt.

CCXLI. Otto und Johann, Markgrafen von Brandenburg, vereignen dem Kloster Marienstern das halbe Dorf Chula bei Wittichenau, am 8. October 1286.

In Nomine Domini Amen. Otto et Johannes, Dei gracia Marchiones Brandenburgenses, Omnibus hanc literam intuentibus salutem in Domino sempiternam. Decet Excellenciam Nostram Sanctimonialibus in Domini Nostri terra degentibus auxilium et juuamen impendere et earum inopie succurrere subsidiis ac presidiis oportunis. Ad noticiam igitur univrsis Christi fidelibus deducimus per presentes, Quod cum Venerabilis Dominus Bernardus, Misnensis Ecclesie Propositus, amicus Noster Episcopalis ac familiaris, villam Chula, sitam juxta Wittgenhaw, cum allodio adjacente, et quosdam agros, sitos inter agros pertinentes ad Civitatem Wittigenhaw, Cenobio Stelle sancte Marie et Virginibus inibi domino famulantibus a Domino de Stigradaw pro sexcentis Marcis Budissinensis argenti, et ponderis ejusdem comparasset, cum pleno videlicet jure, cum omni fructu, cum omnibus ad eandem villam pertinentibus, cum pascuis, lignis aquis, pratis, nemoribus saltibus, molendino, secundum quod eadem bona actis limitalibus in suis terminis circumferentibus sunt distincta, quorum bonorum medietatem siue dimidietatem Idem sincere a nobis hactenus tenuit ac possedit iusto titulo feudali; Nos ad honorem Dei et sue matris virginis gloriose, ut ipsorum bonorum operum participes simus, donauimus predicto Cenobio et Sanctimonialibus plenissimam hujuscemodi bonorum dimidietatem cum proprietate eorundum quiete et pacifice perpetuis temporibus proprietatis titulo possidendam, ita quod nihil juris, nihil profus proprietatis nobis aut heredibus nostris possimus in bonis prius habitis ullo tempore vindicare. Ut igitur hec nostra donacio, pure propter Dominum facta, non possit futuris temporibus aequaliter violari, presentem literam conscribere iussimus, ac Sigillorum nostrorum appensionibus communiri. Testes Dominus Lucas de Schreibersdorff, Sigmund de Weidenberg, Godoke de Grisenberg, Dominus Reinricco de Guze, Advocatus in Budissin, Dominus Gunterus de Biberstein et alii plurimi fide digni. Actum et datum in Crozna, anno Domini millesimo ducesimo LXXXVI^o, in Vigilia sancti Dionisij et Socio.um ejus.

Nach einer vom Polizeirathe Köhler mitgetheilten Abschrift des bei der Ober-Amts-Canzlei in Budessin befindlichen Originals.